

DISSERTATIO PHILOLOGICA

JESAJÆ CAPUT VII:um

*Latine versum & Animadversionibus expli-
catum sistens,*

QUAM

44.

Conf. Ampl. Fac. Phil. Aboenf.

Publicæ Censuræ modeste offerunt

JOHANNES HENR. FATTENBORG

PHIL. MAG.

ET

FREDERICUS GRÖNSTRAND,

WIBURGENSIS:

In Auditorio Majori d. 13 Maji 1796.

b. a. m. f.

ABOÆ, Typis FRENCKELLIANIS.

ДЕСЯТЬ ПЯТЬ

СЕМЬ САДОВЪ.

Былъ въ саду съ сыномъ
и съ женою.

—

Задумалъ я

съжечь садъ.

ДОСТАВИЛЪ СЪМЪ ЗАЧАРКУ,

—

—

СЪЖЕЧЬ САДЪ СЪЗДАЮЩІЙ

СЪЗДАЮЩІЙ

СЪЖЕЧЬ САДЪ СЪЗДАЮЩІЙ

—

СЪЖЕЧЬ САДЪ СЪЗДАЮЩІЙ



Proœmium.

Cum multæ ac magnæ difficultates in Libris Vet: Test. propheticis explicandis ac interpretandis fere offerunt, tum illæ fere maximæ sunt quæ ex defectu monumentorum historicorum oriuntur; qui eo graviora in interpretatione parit incommoda, quo certius constat, historiam, ubi lumen præferat, uberrima in omnibus antiquioris ævi documentis intelligendis ac enodandis præbere adjumenta. Ex hoc historiæ silentio plures etiam in JESAJÆ CAP. VII:MO interpretando existunt difficultates. Arcte enim oraculum illud cum ista temporis ratione quo editum fuit coniunctum deprehenditur; & licet historia nos omnino heic non deferat, adeo tamen manca est ac parum sufficiens cognitio quam suppeditat, ut vix omnia ad liquidum perduci queant. Quum igitur his pagellis caput Jesajæ laudatum, speciminis loco, vertendum notisque qualibuscunque subiectis breviter explicandum suscepimus, non mirum est si inter-
A dum

* * *

dum conjecturas sequi cogamur: sperantes fore ut
tu B. L. juveni juveniles experienti vires, ea qua
par est æquitate ignoscas.

Sed antequam proprius ad institutum accedimus,
primum omnium necessarium nobis videtur, cum ea
quæ ex historia ad locum nostrum illustrandum desu-
mi poslunt paucis attingere, tum etiam tempus quo
editum fuerit hoc oraculum investigare, totiusque
sermonis scopum ac summam, qua fieri possit diligentia,
breviter exponere. — Quod igitur ad res histo-
ricas attinet, quæ huic loco lucem quandam affun-
dunt, patet tam ex initio Capitis nostri quam ex *II. Reg. XV. XVI. & II. Chron. XXVIII*: reges Syriæ
ac Israëlis, Rezinum & Pekachum, consilium de Ju-
dæa conjunctis viribus expugnanda, extremis jam
Jothami annis, cepisse. Quum igitur Achasus
regni paterni potitus fuisse, hoc tumultu pertur-
batus ad regis Asfyrii opes confugit, eumque contra
omnes civilis prudentiæ rationes in auxilium vocat.
cfr. II. Reg. XXI. 7-10. II. Chron. XXVIII. 6. 16.
20. Annuit petitioni Achasi Tiglathpileser: cum exer-
citū venit, Damasco capta Rezinum interfecit, & E-
phraimitarum civitatem, magnam incolarum partem
e Gileadite & Galilæa auferendo, graviter vasta-
vit: quæ omnia intra paucos annos (forte duo aut
tres), atque ut valde probabile est, ante 4:tum Acha-
si imperii annum accidisse, ex ec colligere licet, quod
ea Pekacho adhuc vivente gesta fuisse traduntur. Pe-
kachus

kachus autem interfectus fuit 20:mo Jothami anno (cfr. *II. Reg. XV.* 30) h. e. initio 4:ti Achasi, quia Jotham, pater Achasi, sedecim tantum regnavit annos *II. Reg. XV.* 32. *) Confredit quidem sic rex Asyriæ Tiglathpileser consilia regum confederatorum, sed Achaso etjam detimento fuit. Testatur enim historia sacra *II. Chron. XXVIII.* 20. 21. Tiglathpileserum, quem muneribus jam fatis liberalibus ornanerat Achasus, (*II. Reg. XVI.* 8; *II. Chron. XXVIII.* 21.) non tam auxilio ei fuisse, quam eum vexasse. — Ex his paullo diligentius consideratis conjectura assequi possumus, vaticinium hoc intra primum & quartum Achasi imperii annum editum fuisse; quoniam Pekachus adhuc in vita fuit cum vaticinaretur Jesajas. — Neque non consilium quod admodum

A 2

nitione

*) Licet negari non posit, hanc annorum computationem, in illa monumentorum historicorum penuria qua horum temporum ratio premitur, omnium optimam esse; vix tamen reticendum est, eam magnis laborare difficultatibus; quæ ex eo imprimis oriuntur quod duplice modo anni imperii Hoseæ in Historia Sacra computantur. In *II. Reg. XV.* 13. initium imperii Hoseæ dicitur ab anno mortis Pekachi, h. e. a 4:to Achasi; & in *II. Reg. XVII.* 1 a 12:mo Achasi imperii anno, adeoque octo annis serius. Num igitur 8 annorum interregnum heic statuendum? Attamen vocabula ימלך החמשה & contextus *II. Reg. XV.* 30. indicare videntur, Hoseam statim post Pekachum interfictum regem Israëlitarum factum fuisse. Hæc satis superque probant, temporum rationem valde esse impeditam.

nitione sua attingere studuit propheta ex allatis investigare licet. Cum enim vates facer divino afflactu actus & prudentiae civilis hand imperitus satis superque prævideret, fore ut rex Assyriæ, si in auxilium ab Achaso vocaretur, occasionem rebus Judaicis se immiscendi inde sumeret; summo studio annis est, ut Achasum ab hoc proposito & sibi & toti civitati valde noxio averteret, eumque de auxilio divino certiore faceret. — Postquam igitur occasionem sermonis sui paucis exposuit propheta (v. 1-4.), animum Achasi abjectum erigere conatur, auxilium divinum ei promittit, ac Syris & Israëlis instantem calamitatem prædictit (v. 14-16): simul autem Achaso gravissima minatur mala, quæ ipsi a Rege Assyrio, cuius opem inconsiderate imploraset, brevi infligenda essent: ac denique animum ad remotiora tempora advertens, futura Judæorum infausta fata canit. (v. 17-25).

Cap. VII.

V. 1. Regnante in Judæa Achaso, Jothami filio, nepote Usiæ, Rezinus rex Syriæ & Pekachus rex Israëlis expeditione facta Hierosolymam oppugnare conati sunt; sed eam obsidione eingere non valuebunt (*a*). *V. 2.* Cum igitur nunciaretur aulæ Davide

(a) נִבְנָה pr. eminuit, ascendit; haud raro autem de *expeditione bellica* in Hebraismo usurpatur, imprimis si cum *לְחַמֵּם*

dicæ Syros Ephraimitis conjunctos ad Hierosolymam tendere, familia Regia trepidabat & cor populi tremore correptum palpitabat, cœu folia arborum vento agitata (b). V. 3. Tum mandavit Jœva Jesajæ: Ito cum filio tuo Schear Jaschub obviam Achaſo ad initia aquæductus piscinæ superioris, juxta viam campi fullonum (c): V. 4. & his verbis illum adhortare:

A 3.

conjugatur, cfr. *Jud.* 1. 2. 3. *Jos.* VIII. 3. Eodem fere sensu occurrit ἀναβαῖνειν apud Græcos, unde Xenophontis liber de Expedit. Cyri inscribitur Κυρος ἀναβαῖνεις (cfr. XENOPH. *Expedit.* Cyri edit. ZEUNII, & VITRINGA ad h. 1.). לִבְנָה Licet in sing. sit, tamen in plur. veritus, quoniam ad ambos reges tam Syriæ quam Israëlis referendum est. Neque non לִבְנָה conformatum est ad numerum vocis לה. (cfr. VITRINGA.)

(b) בְּרַחָה - אֲפֹרֵי - Incongruens est interpretatio: *Syri* nituntur *Ephraimitis*; repugnat enim illa & grammaticæ constructioni & ipsius rei rationi. נְחָה femin. est & אֲרָם masculin. & Syri armis fortiores erant Israëlitis. Nec de pacto aut consensu horum regum mutuo mentio commode esse potest; quia jam sub fine Jothani imperii is struebatur (*II. Reg.* XV. 37.) adeoque Achaſo non proſus ignotus erat. Tūtius igitur videtur accentu leviter mutato deducere *Nachba* a נְחָה coll. cum Arab. *نَعْبَدْ* tendit, contendit. (Cfr. MICHAELIS, Supplēm. Lexx. Hebr. & KOPPII annotata ad Lowth.) Hinc RECENT. VERS. SVEC. reddit: *Syrenne voro i antågande tillika med Epbræmisterne.*

(c) שָׁאָר יְשֻׁוֹב vulgo putatur prophetam re vera filium nomine Schear Jaschub habuisse; quod quidem in se ni-

tare: Tranquillus esto & cave ne metuas: nec animus tuus timore consternetur ob duos istos titiones ira exæstuantes, Rezinum nempe & Syrum & Remalida (d). V. 5. Nam quod Syri & Ephraimitæ & Rema-

hil absconi involvit. Cum autem stilum Hebreorum propheticum, atque pro more poëtarum a fictionibus non abhorrentem consideramus: nec non ad ipsam hujus nominis significationem (*reliquia restituentur* & *revertentur*) paullo diligentius attendimus; non omni probabilitatis specie illorum opinio caret, qui filium hunc ejusque nomen esse fictitium existimant & symboli instar ad futuram Judæorum a Syris & Israélitis liberationem adumbrandam, a propheta adhibitum. Idem fere artificium poëticum occurrit *Cap. VIII.* Uxor prophetæ parit filium, cui Jesajas nomen ominosum *Maber Schabal kascb bas* imponit. Momento hæc fieri fingitur, & nomen filii earum rerum rationes quas tunc canebat Vates facer manifeste respicit. *Hoseas C. I. 2.* Judæorum idolatriam perstringens, meretriciam uxorem ducere & filium ex illa procreare fingitur, cum tamen nihil aliud significatur, quam Judæos eodem modo idolatriæ culpa se contaminaſe. **הַלְיוֹנָה** Duas prope muros Hierosolymæ fuisse cisternas ex historia constat, titui urbis ac usui accommodatas. Metus forte erat, ne hostes ad superiorem piscinam potissimum urbem invaderent, adeoque fieri potuit, ut rex ad istius loci munimenta visenda & quæ opus ibi erant curanda egressus esset.

(d) Ad hoc Jesajæ cum rege colloquium tenendum est, Achasum jamjam foedus cum Asyriis iniisse, aut faltem ad id faciendum propensum fuisse. **הַשְׁמָר** *cave tibi.* In orig. **רְצִשָּׁה** est *stringere, constringere;* hinc *servare &*

Remalides mala contra te struunt consilia; V. 6. se
nempe

in forma Niphal *sibi cavere*; quam posteriorem significationem cum hoc vocabulum obtinet, semper fere cum praefixo נ aut particula quadam negandi construitur. Jungenda igitur sunt **השְׁמָר וַיַּאֲתַר** תירא cfr. *Jud.* XIII. 4. *Genes XXIV. 6. Exod. X. 28.* Sensus est: *cave tibi ne vano tremore ita confundaris, ut divinae tutelae ac potentiae prouersus obliuiscaris.* — **אנבות האורים** Putant interpres locutione: *caudas titionum fuman-
tium*, vires Syrorum ac Israëlitarum debilitas & irri-
ta eorum contra Judæos conamina adumbrari. Sed for-
sitan probabilius est **ונבויות האורים** heic positum esse pro
simplici *titiones*; atque *ira accendi, ardere, ex-
æstuare & fumare* synonymæ fere sunt locutiones. Lim-
pidissimus igitur oritur sensus si **cum בחרי אַף העשנים** conjungatur. Ostendere nimirum vult propheta, non es-
se cur iram duorum regum tantopere timeat Achasus,
quippe qui ipsi bello fracti mox esfent interituri. — **וְאֶרֶם** — Vocabulum hoc e textu ejiciendum putat Rev. LOWTH. An autem jure, dubitamus. Nam neque versionis Syria-
cæ testimonium, cui ille nititur, satis validum est, ne-
que parallelismus tam accuratus semper requirendus, ut
omnia vocabula nunquam non sibi invicem respondeant.
In seq. verfu etiam Remaliæ filius nominatur non **autem Rezinus**. Neque KOPPII admittere possumus sententiam,
qui putat textum nostrum a verbis usque ad
finem versus sequentis esse corruptum atque hoc modo
restituendum: **בְּחִרֵי אַף אֲרֹפָא וּמִן אַרְמָנוּ רַעַז**
כְּרַעַז עַלְקַר רַעַה לְאַטָּר. Ex auctoritate Vers. Alex. hanc
textus mutationem proponit, quæ tamen, cum vulgaris
scriptio bonum omnino fundat sensum, necessaria non

nempe Judæam invadere velle, eam exscindere, inter se partiri atque regem tributarium in ea constituerre Thabelis filium (*e*); *V. 7.* Sic loquitur Jova Dominus: irrita, vana erunt talia consilia. *V. 8.* Syriæ enim caput Damascus (*f*) & Damasci caput Rezinus erit (*g*). & intra sexaginta & quinque annos Ephraimite

est. Contextus clare docet vocabula בחרי נפָר referenda esse ad Rezium & Remalida.

(*e*) **בְּקַוְצֵנָה** Varie ab Intt. sumitur. Optime autem significatio radicis **תְּסִירָה** hoc loco petitur ex dialecto Arab. ubi **قَاضِي** significat *rumpere, diruere*. Sic etiam radices cognatae **قَصْنَى** & **قَصْنَى** denotant *scindere, perforare* v. c. murum, & in Conj. VII *irruere in prædam, hostem* (cfr. WILM. Lex. Arab.) & **חַדָּה** ac **חַדָּה** apud Hebreos *scindere, secare*; unde **חַדָּה fastidiendi**, tædio *afficiendi* notionem obtinuit, sicut Lat. *temno* & *contemno* a Greco *τεμνω*. (cfr. SIMONIS Lex. Hebr. Edit. Eichb.) Praeterea Arabes quoque eodem sensu quo **חַדָּה** heic occurrit, adhibent vocabulum **מְגַיֵּת** *mugiit, vociferatus fuit*; hinc *male habuit ex tædio fastidioque*, & in Conj. III. *ad angustias redigit, obsidione urbem pressit* (cfr. WILM. Lex. Arab. & ROSENmüLLERI Schol. a. h. l.). — Affix. **בְּחַדָּה** manifeste respicit ad *præcedens* **יְהוָה**, *exscindamus eam* scil. Judæam, & male a ROSENmüLLERO refertur ad urbem Hierosolymam.

(*f*) Sensus est: *Syri fines suos non egredientur neque imperium suum novis terrarum accessionibus adaugebunt.*

(*g*) Tam multum in hoc & sequenti verfu emendando & cum vera temporum ratione conciliando viri defudarunt

mitæ e numero gentium exempti erunt. — V. 9. Et
B regni

docti, ut vix quicquam ne conjectura quidem in medium proferre liceat, quod non antea jam dictum inveniatur. Duæ imprimis heic sece offerunt difficultates: altera in ordine verborum inest: altera in computandis sexaginta illis & quinque annis, intra quos Ephraimitarum civitas interitura esse dicitur. Quod igitur ad ordinem verborum attinet, probabile utique videtur eum perturbatum esse ac medela opus habere. Primum enim parallelismus, qui vix ab ullo alio prophetarum tam accurate quam ab Jesaja observatur, in minis denuntiandis negligitur, cum tamen in aliis horum versuum membris haud aquam deest. Deinde Israëlitarum interitus loco haud idoneo commemoratur. In versu enim 8:o sermo est de Syris, in 9:o autem de Israëlitis: Syrorum autem fata plane omittuntur; quorum commemoratio non solum iure desideratur, verum etiam prius quam Israëlitarum expectanda esse videtur, si *vel* ordinem membrorum, *vel* vim orationis ad animum regis confirmandum spectes. Syri enim prius nominantur, igitur clavis eorum denuntiatio Israëlitarum calamitatem antecedere debuisset. Consilio prophetæ magis conveniens fuisse videtur, ut Syris quoque mala minaretur, qui & opibus plus pollerent Israëlitis & priores ab Asyriis subigerentur (cfr: Proœm.). Putant igitur MICHAËLIS & KOPPE, vocabula quædam Syrorum calamitatem (quæ forsitan tres aut duos annos post bellum inceptum acciderat) describentia, post 2:dum distichon versus 8:i e textu excidisse, & vocabula **בְּנֵי** - - - וּבְנֵר transponenda esse post 2:dum distichon versus 9:i: Quæ conjectura, quamquam, deficientibus veterum Codicum & antiquarum versionum testimoniis, pro certa ac indubia vix haberi queat, tantam tamen

regnii Ephraimitici caput erit Samaria & filius Re-
maliæ

probabilitatis speciem habet, ut ei omnem verisimilitudinem denegare non audeamus. — In computandis sexaginta & quinque annis, quos terminum Regni Israëlit. figit vates, USSER, NEWTON, LOWTH, & DOEDERLEIN pluresque alii multum laboris impenderunt ad illos cum temporis ratione conciliandos. Primum igitur locutionem **יְהוָה צְדָקָה**, non de excidio reipublicæ Israël. a Salmanas-fare facta explicant (cujus mentio fit II Reg. XVII. 26), sed de ultima deportatione Israëlitarum sub Asierhaddone instituta, quæ, ex eorum sententia, in *Esr. IV. 2.* *seqq.* narratur. Deinde computationem sic instituit DOEDERLEIN: "Post editum ab Jesaja vaticinium, anni elapsi sunt:

- 21. *ad finem regni Israelitici.*
- 23. *Ad initia regni Assaradini in Assur*
- 17. *Ad occupationem regni Babylon. per eundem.*
- 4. *ad ea tempora, circa que provinciae Israël. pluribus colonis distributæ nomen extinctum est & nomen Israëlitarum, ut genti peculiare, desit. Esr. IV. 2.*" Hic habes

65. annos. (cfr. DOEDERL. Jesajas). Sed licet hæc computandi ratio omni probabilitatis specie haudquaquam careat; tamen diffitendum non est, multa eaque gravia dubia contra eam moveri posse. Primum enim locutio ista **יְהוָה צְדָקָה** necessario de *eversione reipublicæ Israeliticæ* explicanda est. *Populus definit*, aut cum terra ejus ab hostibus capitur atque incolis in alias sedes transportatis alienis habitanda relinquitur, aut cum stirps ejus prorsus emoritur. Prius accidit Israëlitis sub Salmanas-fare; posterius ne sub Asierhaddone quidem, quippe qui

maliæ caput Samariæ. Si non creditis, profecto tuti
 B 2 haud

superstites quamvis in captivitate erant. (cfr. MICHAËLIS ad h. l.). Deinde precario assumitur, reliquos Israëlitas a Salmanasfare non abductos formam aliquam civitatis retinuisse, ac ultimam deportationem ab Asier-haddone peractam fuisse; quod ex *Esr.* IV. 2 probari non potest. (cfr. SCHULZII Schol. ad h. l.). Neque non primi 21 anni, & postremi 4 ex mera conjectura definiuntur. Quis porro justam reddat rationem, cur propheta, Israëlitarum interitum vaticinaturus, ultimam hanc & levissimam deportationem commemoraverit, eversiōnem autem Samariæ & Reipublicæ Israël. destructionem, postremo horum casu longe insigniorem ac notabiliorē, omiserit? Hæc sunt argumenta quæ allatam computandi rationem valde infirmare videntur; quare textum vulgarem mutando calculos aliter subducere alii tentarunt vi-ri docti. LUDOVIC. CAPELLUS & GROTIUS undecim proponunt annos leguntque שׁוֹבֵר pro שׁוֹבֵר; quod tamen grammaticæ constructioni, & imprimis temporis rationi manifeste repugnat. HUBIGANTIUS quindecim annos verum numerum esse putat: sed nec illi chronologiae conveniunt: MICHAËLIS in Bibl. Orient. Th. XVIII. p. 24. שׁוֹבֵר עֲשָׂרִים וּמְשֻׁבְבָּשׁ veram lectionem esse defendit, quam loco vulgatae שׁוֹבֵר וּמְשֻׁבְבָּשׁ in Codice 96. *Kennicott.* invenerat. Sed jam observavit JAC. BRUNS hanc textus variationem nihil aliud esse nisi mendum librarii. Cum enim שׁוֹבֵר שׁוֹבֵר שׁוֹבֵר solo hoc loco, שׁוֹבֵר שׁוֹבֵר שׁוֹבֵר ad minimum in 8 locis legatur, hæc facile inter se permutari potuerunt. Codex etjam 96. accurate scriptis minime accensendus est. (cfr. *Kennicott.* disl. general, in V. T. p. 150. Edit. *Bruni.*) Ipsa etjam computatio horum 25 annorum quam instituit MICHAËLIS conjecturæ

nitur & temporis rationi minime convenit. VITRINGA urget in Apographo scribarum sacrorum sic exaratum fuisse: וְכָעֵד שֶׁנֶּה וְחַמְשָׁשֶׁנֶּה nimis per compendium scriptioris pro *תְּרִשְׁׁעַ decem*. Hinc oriuntur 21 anni, quos ita computat: Achabus 16 regnavit annos, quorum initio oraculum edidit Jesajas; & 6:to Hiskiae anno Samaria capta fuit. Sed neque omnino certum ac indubium est, numeros litteris designare antiquissimis temporibus in usu apud Hebreos fuisse, (cfr. DATHE & SCHULZ ad h. I.) neque ullo veterum Codicum testimonio hæc conjectura firmatur. Cuique etiam mirum videbitur, cur inusitata ista phrasι *sedecim & quinque*, numerum 21. expresserit Sacer Vates. Quod autem ad numerum annorum a VITRINGA allatorum attinet, vix negari potest eum chronologiæ rationibus convenire, si modo certum esset Jesajam vaticinium hoc primo Achali imperii anno edidisse. Quod quamvis in dubium vocari poslit, id tamen ex historia probabile fit, invasionem Syrorum ac Israëliterum ante 4:um Achali annum factam fuisse, adeoque etiam oraculum hoc ante id temporis editum. Quæ cum ita sint, tutissimum quidem videtur, si de certo ac definito annorum numero cogitandum sit, interitum reipublicæ Israëlit, intra 18. & 21. annorum spatium, post illud temporis momentum quo cecinit Jesajas, definire. — Quid vero! itane anxie numerum hunc annorum resolvere opus? Nonne probabile est, Jesajam heic indefinite locutum fuisse atque tempus numero rotundo expresuisse? Nimis forsitan a propheta exigeret, qui annos hos ad mathematicum rigorem referret, quum in ipsis Messiae temporibus alibi nihil definire potuerit. Hac igitur conjectura recepta, anxia illa ac difficilis de annis computandis disquisitio ad nihilum recedit. — Brevissimam quidem viam in hoc loco expedien-

haud eritis (h). V. 10. Porro Jova Achaso dici ius-
sit: V. 11. Postula tibi omen a Jova Deo tuo: demit-
te te ad inferos, aut descendere in cœlos (i). V. 12.

B 3

Respon-

do ingressi sunt PAULLUS & EICHORN. Ille existimat, verba numerum annorum exprimentia וְחַמֵּשׁ שָׁנִים ex interpolatione & glossemate in textum irreplisse (cfr. SCHULZII Schol.): hic, idem judicat de omnibus vocabu-
lis ab וְכָעֵד usque ad מַעַם (cfr. EICHORN. Einl. ins Alt. Test. T. III. p. 92. Edit. 2.a). Hoc vero omnino est nodum fecare, non solvere.

(b) אַתָּה tuti baud eritis. Hæc versio firmatur non so-
lum ex vi radicis ταῦ οὐν coll. cum Arab. *أَمْنٌ firmus,*
stabilis, securus fuit; sed etiam ex loco parallelo II. Chron. XX. 20. ubi הַצְלִיחֵי תָּמֹנוּ & חֲלִיחֵי sibi respondent. Sensus eit: *si non verbis meis credatis fiduciamque in divino auxilio ponatis, vobis prædico nunquam rerum vestrarum statum firmum ac inconcussum fore.* (cfr. VITRINGA). — Particula יְהִי saepe in Hebraismo denotare *pro-
fetō*, satis notum est; quæ significatio quum in hunc lo-
cum quadret, non opus est ut יְהִי cum יְהִי commutemus.

(i) Ad animum Achasi impium & Jovæ auxilio diffidentem, fortius ferendum ac divinæ potentiae commonefaciendum optionem ei facit propheta, ut signum quoddam vel in-
dicium eligat, quo sibi persuadere posset, ea quæ Jesa-
jas prædixerat certe eventura fore. Stilus poëticus est
ac sublimis. Achasum eligere jubet, utrum apud inferos,
an in cœlis miraculum edi vellet. — שאלה Dissen-
tiunt interpres in hoc vocabulo explicando. Cum au-
tem העם & הגָּבָה, מַעַלה & שָׁאַלָּה sibi manifeste re-
spondeant; non possumus non cum iis facere, qui aliis

Respondente vero Achaso: non petam nec Jovam tentabo (k): *V. 13.* Heus, inquit *Jesajas*, familia regia! Nonne satis est hominibus molestiam creare? num & Deo meo molestos vos præbebitis? (l) *V. 14.* Propter ea

punctis substitutis legunt **הַלְנָשׁ** pro **הַלְנָשׁ**. Quam mutationem nonnullæ antiquæ versiones etiam comprobare videntur. AQVILA, SYMMACHUS, THEODOTION: **βαθυον** eis αδην. *LXX*: eis βαθος η εισ ιψος. Quod si autem vulgaris punctatio magis placeat, **βαθος** in vocabulo **பூந்** ineat. Et sic forte VULGATUS: *pete tibi signum in profundum.*

(k) Videntur quidem hæc Achasi verba celeriter ea oculis perlustranti submissa ac reverentia in Jovæ potentiam perculso animo edita esse. Cum autem in mentem revocamus, Achasum regem fuisse maxime impium, & Jovæ ejusque cultus ac auxilii populo Israælitico ab eo semper præstigi ita immemorem, ut idolatriæ culpa contaminatus, Asfyrii regis amicitiam & auxilium potius imploraret; vix ac ne vix quidem eo sensu responsum ejus sumere licet; quin potius illud aperte prodit nefariam ejus impietatem & divinæ potentiae ac defensionis contemptum sub larva hypocriseos latentem. Ut hypocrita scilicet negat Achasus se Jovam tentare velle; cum tamen ei diffitus impias in animo versans cogitationes, fœdus cum rege Asfyrio percutere studeret. Hinc etiam facile intelligitur, cur propheta tam gravi indignatione ac pio zelo motus responsum Achasi reprehendat ejusque impietatem ac dissidentiam perstringat.

(l) **כּוֹנִין** fine dubio intelligendi sunt *cives Achasi*, ab illo antea vario modo afflictati, atque hoc occasione par-

pterea hoc erit vobis omen a Jova datum: Virgo grā-
vida facta filium pariet, cui nomen impones Imma-
nuel (m) V. 15. Lacte spiso & melle sylvestri nu-
trietur

tim bellico apparatu vexati, partim födere cum Tiglat-
pilesero inito vexandi, ut ex II. Chron. XXVIII. 16-
20 liquet. *Deo molestiam creasse* dicitur Achafus, eo
quod divinæ potentiae ac tutelæ diffisus aliunde auxilium
petiislet, adeoque legem violando iram ac vindictam di-
vinam provocaslet.

(m) Quum Achafus signum petere recusasset, ex quo fu-
turam regni sui ab hostibus liberationem cognoscere pos-
set, Vates ipse denuo asleverat fore ut Syri & Israēlit-
tæ brevi Judæam relinqvere cogantur, verum Judæi e-
tjam valde affligantur. Consilium sibi propositum habuit
Jesajas, ut Achafum a födere cum Asfyriis ineundo a-
verteret, eumque de auxilio divino certiore faceret.
Id jam in versl. 8. & 9. fecerat, idemque illud, ut ma-
jorem fidem dictis adjiciat, ulterius repetit ac tempus
quo ista eventura sint accuratius designat; simul autem
calamitates ex bello cum Syris ac Israēlitis gerendo in
Judæos redundaturas canit. Deinde a versu 17:o futu-
ra Judæorum mala præcinere incipit, quæ ab Asfyriis
& Ægyptiis pasuri esent, in pœnam pertinacitate ac
dissidentia dignam.—**הַלְלוּ רֹסֶןמּוּלֵר**, CUBE plures-
que alii existimant, prophetam digito virginem qvandam
ad latenter monstrasse. Neque hoc sine omni ratione,
cum הַ sepe pronominis demonstrativi vim fustineat. Cum
autem Vates Sacer forsan his verbis nihil aliud significa-
re voluerit, quam temporis spatium intra quod libera-
tio Judæis contingere; verisimile videtur הַ heic esse הַ
articuli, ut in חַזְוָן Job. 1. 6. 13. בְּרוּ גְּנֵזִיס. VIII.

trietur usque dum noverit spernere malum & eligere bonum (n). V. 16. Antequam vero puer iste noverit sperne-

7. הַנְּגָר Num. XI. 27; (cfr. Schulzii Scholia ad h. l.) adeo ut sensus sit: *intra illud tempus quo virgo aliqua gravida facta partum edit &c.* — וְקִרְאָתָה Verti potest vel & *vocabis*, oratione habita ad feminam, vel & *vocabit* scil. femina cum peperit (quo sensu וְקִרְאָתָה di-
ctum eset pro **וְקִרְאָה**, quomodo Judæi interpretes pas-
sim accipiunt cfr. VITRINGA.); vel aliis punctis substitui-
tis *tu* scil. rex *vocabis*. Forsan autem optime imper-
sonaliter sumitur, & *vocabitur*. Res est minoris momen-
ti. Ex his dictis patet nos in hoc versu explicando lit-
teralem tantum verborum sensum respexisse: quo autem
sensu hic locus de Messia agere possit Theologorum dis-
quisitioni relinquimus.

(n) מֵתָהָר Reête observarunt receatores Intt. vocabulum
hoc denotare *lac spisum*, non autem *butyrum*, quod in
terra olei feracissima vix notum erat. حَمْضَة apud Ara-
bes significat *spisum fuit lac*. Licet negari non posit,
ubertatem terrae omniumque rerum in illa affluentiam
sæpe in Sacris Bibliis abundantia lactis & mellis poëtice
depingi; tamen iplius rei ratio ac contextus docet, Ju-
daicæ regionis vaftationem viiitrusque soliti inopiam hac
imagine adumbrari. Id clarissime patet ex vers. 22, ubi
eadem imago eodem sensu occurrit. Neque mirum,
si in bello inter Achasum regesque confederatos gesto
campi vaftabantur, adeo ut agri, vineæ ac oliveta incul-
ta jacerent. — רַבְשׁ non solum est *mel apum* quod ex
mellariis arte factis colligitur, sed etjam *mel agreste* seu
succus dulcis, ex quibusdam arboribus, palmis, ficubus
aliisque certo tempore stillans. Neque non tale mel He-

spernere malum & eligere bonum, terra ista ob cu-
C jus

braice vocatur רְכֵשׁ, quod in arborum cavitatibus aliis que locis ab apibus conficitur. — לְרֹעַתּוּ usque dum noverit. Praefixo לְ, cum infinitivo jungitur, hanc competere significationem, in Hebraismo non rarum est *Lev. XXIV.*

12. Dan. XII. 11. — Disfentiant interpres in tempore definiendo quod locutione בְּטוּבָה כֶּבֶר וּכֶחֶר significatum voluit propheta. MICHAËLIS & CUBE, licet inter illos de annis computandis non conveniat, in eo tamen consentiunt, annos pueri quos dicunt *discretionis*, his verbis innui. Veritati autem illi proprius accedere videntur, qui illam intelligunt ætatem, qua ratio vim suam in infantibus primum exserit, h. e. in 2:0 aut 3:0 anno. Synonyma loquendi ratio exstat in *Cap. VIII. 4.* antequam puer patris matrisque nomen clamare didicerit. Respicitur enim heic haudquaquam illud tempus, quo Respublica Israël a Salmanasfare everteretur, sed illud quo Judæa ab hostibus liberaretur: quod contigit cum Tiglathpileser Damasco capta Rezinum interfecit & Ephraimitiden vastavit. Patet autem ex historia *II. Reg. XVI. 9. XV. 29.* Tiglathpileserum hanc expeditionem Pekacho adhuc vivente, ante 4:tum Achasi imperii annum fecisse, adeoque liberatio a propheta promissa Judæis intra paucos annos (sorsitan duos aut tres) contigit. Calculis igitur ita subductis hic oritur sensus: intra illud temporis spatium quo virgo quædam gravida facta filium peperit, isque illam ætatem qua ratio pri-mum se manifestam facit attigeret, (b. e. intra tres circiter annos), Judæa, licet ita a regibus confederatis vastata, ut incolæ propter soliti vietus inopiam lacte & melle sylvestri vitam sustentare cogantur, liberabitur, hostes-

ius duos reges tibi ægre est, deserta erit (o). V. 17.
 Adversus te vero, tuum populum familiamque paternam talia adducet Iova tempora, qualia non fuerunt inde ab illo ævo quo Ephraim descivit a Juda, nimirum per regem Asyriæ (p). V. 18. Sibilo enim evocabit

que ejus gravissima clade afficiuntur; Quod posterius in seq. versu imprimis enunciatur.

(o) שָׁוֵן recte conjungi debet cum מִלְחָמָה & male refertur a nonnullis ad הַר צְדָקָה, hoc nimum sensu: terra quam tu detestaris seu fastidis, deferetur a duobus suis regibus; quam explicationem egregie refellit VITRINGA. 1) Ju-dæi & rex eorum Achabus non tam fastidiebat terram, quam reges istius terræ præsides. 2) Verbum וּבָא in eo sensu quem fovent int. illi construitur cum בְּ וּ debuisse Hebraice dici וּבָא כַּאֲשֶׁר אָתָּה in qua tu naureas I. cuius causa tu tædio afficeris. Contra vero וּבָא (subjuncta ei timendi notione) construitur cum יְמִינָה, ut Num. XXI. 3. וּבָא טוֹאָב מִפְּנֵי בְּנֵי יִשְׂרָאֵל & ægre erat Moab propter Israëlitas. Terra igitur que deferenda dicitur, est Epbraimitis & Syria: duo scil. reges terræ propter quos ægre erat Achabos & Judæis, Rezin & Pekacbus.

(p) Futura Judæorum infausta fata canere incipit Vates; quod etjani cum consilio ejus optime convenit. Cum enim in praecedentibus verbis illam vastationem quam Syri & Israëlitæ, Judaicam regionem vexantes, a Tiglathpilefero pasturi esent, divinitus præciniuisset, Judæis quoque mala ab eodem rege illis inferenda, eo consilio minari incipit ut Achabum a fœdere cum Tiglathpilefero ineundo magis deterret. Has igitur calamitates vaticinatu-

vocabit Jova muscas ab extremis fluvii Ægypti oris
 & apes ex Asyria (q). V. 19. Venient & confide-
 C 2 bunt

rus, in describendis cladibus proxime instantibus non
 perlitit, sed, ut bene annotat ROSENmüller, "excelsiori
quasiphantasiæ sensu abreptus, ulterius procedit: tempora longingva oculis ejus subjiciuntur: videt Judæam ab hostibus barbaris Ægyptiis & Asyriis consumtam & vastatam." Incipiebant calamitates itæ cum Tiglathpile-
 fero, incrementum ceperunt invasione Sanheribi, & sub
 Nebuchadnezaro Judæam penitus obruebant. — **בְּיַם**
 Præfixum γ LXX. expreserunt; quod tamen adeo neces-
 farium non est, ut illud e textu excidisse statuamus.
 Abrupte enim ad aliam materiam transit oratio, neque
 raro tales occurruunt elliptes, ex. gr. **יְהִי רָאשׁ** ut spuria e textu ejiciunt HUBIGANTIUS, SECKER,
 LOWTH, CUBE; sed licet salvo sensu hæc appositio deesse
 potuerit, nihil tamen impedit quominus bis Asyrios
 nominare queat propheta. Atque & veritas lectionis
 unanimi veterum Int. testimonio Codicumque consensu
 firmatur, & sensus verborum clarus est, si cum **וּבְיַם**
 conjungas (cfr. ROSENmüll. Scholia ad h. l.).

(q) Ubi Nilus in mare mediterraneum se effundit, stagna
 sunt paludesque in quibus immensa illa muscarum multi-
 tudo quæ tam vehementer regiones istas infestat, abunde
 generatur. (cfr. LOWTHI Jesajas.) — **רֹבֶרֶת סִבְילָה** evocabit apes. Respicit vates ad morem usitatum apes
 ῥιζοματας ex mellariis evocandi & rursus ad illa revo-
 candi, cfr. Cap. V. 26. **יְהִי רָאשׁ** exercitus ho-
 stiles vocat *examen cicadarum*. Apis bellicocissimum
 etjam est ac fortissimum in pugnando animalculum. Apte
 igitur muscis & apibus exercitus Asyriorum & Ægypt-

bunt in convallibus locorum desolatorum & petrarum fissuris & in omnibus fentetis ac locis irriguis (r).

V. 20.

tiorum comparantur, tum ob multitudinem, tum ob gravia incommoda Judæis ab his copiis oriunda. Historia fatis superque docet, omnia quæ Propheta prædixerat, impleta esse. De vastatione Judææ ab Ægyptiis facta, legi potest *II. Reg. XXIII. 29-36. II Chron. XXXV 20-24. XXXVI. 3-4.*

(g) נַחַל הַבְּתוֹת fluctuant & veteres & recentiores Intt. in his verbis interpretandis. CHALD. reddit: *in plateis ci-vitatum*; cui simile quid habet CAPELLVS: *in vallibus domorum*. Recte autem contra hanc explicationem observavit VITRINGA: *בית* numero plur: esterri, non *בָּתָה*, & *valles* *domorum*, insveta est locutio. LXX. vertentes: *εν ταῖς Φαραγγίς τησ χωρας*, videntur omissee *בָּתָה*. HIERONYM. *in torrentibus vallium*; quæ significatio nunquam *ταῖς* *בָּתָה* competit. MICHAËLIS Legit *בָּתָה* *valles in quibus greges pernoctant*. Apte quidem haec ingeniosa textus mutatio imagini a muscis defumtae convenit; quippe quoniam magna musearum copia in stabulis gregum esse solet. Sed mutatione textus non opus est; cum ille hard difficilem permittat sensum. KOPPE confert Arab. جنَاح terra plana, mollis, adeo ut *valles irriguæ, depresæ* oppositaæ esent *altis asperisque rupibus* (quo sensu sumit נִקְיָה הַסְלָעָה). Sed neque Arab. δ̄ commode conferri potest cum Hebræorum חַת; neque haec significatio apta est in Cap. V. 6. ubi necesario נַחַת denotat *excidium*. (cfr. ROSENMULLERI Scholia ad h. l.). Nihil igitur impedit quominus נַחַת vulgarem suam vim retineat, nempe *excidium, desolatio l. locus desolatus, vastatus*. Etjam apud Arab. دَنْت significat

V. 20. Tum abradet Dominus novacula mercenaria,
nempe per transfluviales, per regem Asfyriæ comam
pilosque pedum, atque adeo ipsam barbam tondebit (s).

C 3

V. 21.

secare, abrumpere. His observatis, ad nihilum quoque
recidit altera KOPPII conjectura, qua putat נקיקת הַסְעָם
significare debere *rupes altas asperasque*. Cum enim ut
ipse profitetur, hanc tuam opinionem neque ex Hebrais-
mo, neque ex cognatis dialectis probare valuerit, melius
omnino est, veterum versionum testimonio niti, quam
ad meras conjecturas confugere. Ubique נקיקת סָלָע
conjunctum invenitur, atque vix dubium, quin נקיקת סָלָע
sint fissuræ petrarum. Jerem. XIII. 4. XVI. 16.
(cfr. ROSEN. SCHOL.). נַעֲמָן vepratum, senticetum.
Cognatum est cum Arab. نَعْصَن nomen *arboris spinosæ*,

Sidra Arab. *silvestris*, a rad. نَعْصَن pupigit. (cfr. SIMON.
Lex. Hebr. Edit. Eich.). For illian autem melius cum
CHALD. intelligis ipsa loca torrida ubi crescent vepres;
& sic etiam commodius opponitur בְּהַלְלִים locis irriguis,
cujus vocis significationem optime illustravit SCHULTENS.
in Vindic. Orig. Sect. VIII. p. 499. Comparat cum Arab.
جَهْوَى locus aquationis, a rad. جَهْوَى potu restinxit si-
tum — Continuat propheta in hoc veriu imaginem quam
in præced. incepérat: muscis peculiare est in vallibus
locisque irriguis verlari, apibus autem in rupium ac ar-
borum cavitatibus.

(s) Calamitatis Judaicæ descriptio continuatur: Non enim
illi audiendi sunt Int. qui orationem heic in Syros ver-
ti putent, ideoque aut de clade Sanheribi, aut de ex-
trema regni Asiyrii everlione a Medis Persisque peracta,
cogitent. Huic enim explicationi primum obstat, quod

107

V. 21. Fiet igitur ut si quis buculam aut duas
oves

confilio prophetæ non convenit interitum Asyriorum
commemorare. Gravissima mala ab Asyriis inferenda
Judæis minatus fuerat vates, quo Achasum ab illorum
amicitia sejungeret; vix autem ita denuntiatio malorum
Achasi animum percutere potuisset, si certior factus fuisset,
fore ut Asyrii ipsi exscinderentur; immo omnem si-
dem dictis abrogasset ipse vates. Deinde tota oratio tam
in præced. versibus quam seqq. agit de Judæis. Fræte-
rea præfix. ב in בַתְעָר valet *per*; & nisi omnia torque-
re velimus, eadem vis adjicienda est כ in כִּלְדָּך &
כְּבָרֵי (Plura vide apud VITRNGAM). —
vacula mercenaria vocatur rex Asyriæ, quia auxilium
ejus tam anxie imploraverat Achasus, & magna ab ho-
stibus præda direpta, ingentem pecuniarum & argenti
vim ab Achaso ipso acceperat. *I. Cbron. XXVIII. 21.*
II. Reg. XVI. 8. — בְּעָרֵי נֶהָר per transfluviales h. e. per
Asyrios, quorum nomen statim subjungitur. Quemad-
modum enim יָאֹור imprimis de *Nilo* dicitur, sic etiam
נְהָר de Euphrate adhibetur cfr. *Genes. XXXI. 21. Exod.*
XXIII. 31. Num. XXII. 5. — Vaide se torquet Lowth
in similitudine ex tonione capitis ac pilorum pedis de-
fumta accurate enodanda. שָׁנָה proceres, מִלְחָמָה plebem
significare putat. Sed voces in allegoria omnes ad vi-
vum resecare velle ineptum sane est, cum auctori ima-
gines explicare non placuerit. Quare recte ROSENMÜLLER:
Sensus potius est, "fore ut Judæis omnia ab Asyriis
eriperentur, ita ut nihil reliquum iis eset futurum,
metaphora e tonsa ad cutem, per totum corpus, defum-
ta. תְּסִפָּה ipsi barbam tondebit h. e. Judæi gravissima
ignominia afficientur. Barba enim apud orientales decus
est virorum, & illa privari ignominiae nota habetur.
(DATHE.)

oves nutriverit; *V. 22.* præ copia lactis vescetur lacte spiso, immo omnes in terra superstites lacte spiso & melle sylvestri vitam sustentent (*t*). *V. 23.* Tum omnes vineæ, ubi antea fuerint mille vites mille argenteis æstimatæ, veribus & sentibus obductæ erunt (*u*). *V. 24.* Sagittis & arcu illuc ibitur, nam sentibus

(*t*) Vividis coloribus lugenda terræ facies post vastationem Asfyriacam depingitur: pauci erunt homines residui, nisi que pauperes ac inopes: campi inculti jacebunt: lac & mel agreite unicus vietus: greges holtibus erepti per agros quos nemo colit nec tuetur libere errabunt, & large atque ad satietatem pauci insuetam lactis copiam præbebunt. Tam clare hæc omnia terram gravissime vastatam ac defolatam depingunt, ut fatis mirari non possumus, fuisse interpretum quosdam, qui hunc & sequentem versum ac ultimum explicarent de illa felicitate qua Deus Judæos ex calamitate Asfyriaca elapsos cumularet. Quis vero putet, vatem, si in versu 21 & 22 meliorem rerum statum depingere incepisset, mox vers. 23 transitum esse ad calamitatem Judæorum describendam, & rurus versu 25 ad felicia tempora adumbranda retrogressurum? Qui faltus vix ac ne vix quidem ferendi!

(*u*) מֵלֶת וְמִלְתָּה mille vites mille argenteis scil. sicutis æstimatæ. Subintelligendum est וְמַשׁ, quod saepe etiam וְמַתָּה adjunctum invenitur cfr. *Genes. XXIII. 15. I. Sam. IX. 8.* Tam vilis hæc vitium æstimatio videtur VITRINGÆ, ut præeuntibus SANCTIO & GROTIUS, hæc verba non de pretio vineæ ex numero vitium statuto explicit, sed de mercede locationis, aut de redditu qui perciperetur ex vitium fructu. Sed rectius observavit MICHAËLIS vinea-

bus & vepribus obducta erit tota terra (v). V. 25.
 Colles istos qui farculo quondam studiose farriebantur,
 sentibus ac vepribus obductos nemo adire audebit,
 & armentis ac pecudibus immisis conculcabuntur (x).

rum pretium nostris quoque temporibus ex numero vi-
 tium constitui. Neque putandum est, pretium quod heic
 exhibetur, Jesajæ ævo cum pecuniae rariores erant, pro
 vili habitum fuisse.

(v) Sensus est: tota terra sentibus & vepribus ita obducta
 erit, ut nemo præ latronum ac ferarum metu, nisi arcu
 ac sagittis armatus, illam intrare audeat.

(x) **וְכֹל יַעֲרָוּ** Nominativus est absolutus in Hebraismo
 valde frequens; *quod attinet ad omnes colles &c.* סער
 vocabulum dubiæ significationis; nili forte ex lingua A-
 ramæa aliquid lucis accipiat ubi **רַעַנָּה** *sarriendi, pastinani-*
di vim tenet (cfr. ROSENMÜLLERI Schol. *ad Jes. V. 6.*)
וְשִׁתְּה - - - **לֹא חֲבוֹא** varie hæc verba explicari solent.
 Forfitan autem optime videtur *aut* iub intelligere præfix.
וְ ante **רַעַנָּה**: *nemo illuc præ sentium ac veprium timo-*
re intrare audebit; aut verba ex affectu & abrupte e-
 dicta esse putare: *non illuc ire audebis!* metus veprium
 & sentium scil. ibi erit.
